

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3788

Auteur(s) : Pierre de Criquebeuf [chevalier]

Bénéficiaire(s) : Pierre de la Broce [chambellan]

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1275, 16 mai

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Pierre de Criquebeuf notifie l'accord conclu entre lui et Étienne le Tailleur et sa femme à l'assise du roi tenu à Verneuil sur les biens et les droits sis à Charnelles que Jean de Criquebeuf, grand-père de Pierre, avait achetés de Girard dit le Chauff, écuyer, et dont Étienne et sa femme ont réclamé leur droit héréditaire. Ces derniers y renoncent et Pierre cède lesdits biens et droits, avec l'accord d'Étienne et de sa femme, à Pierre de La Broce, chambellan du roi, seigneur de Langes, et à ses héritiers.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardele (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 849, p. 198.

Texte établi d'après a

Ego Petrus de Criquebeuf, miles, notum facio universis presentes litteras inspecturis, quod, cum inter me, ex una parte, et Stephanum Talleatorem et Sybillam ejus uxorem, ex altera, mota esset querela in asiis domini regis apud Vernolium, super quadam hereditate quam karissimus avunculus meus dominus quondam Johannes de Criquebeuf, miles, emerat a Girardo dicto Calvo, armigero, in parrochia Sancti Petri de Charnellis sita, quam quidem hereditatem dicti Stephanus et Sybilla, ejus uxor, ex parte ipsius Sybille, petebant per retractam a me sibi dimitti, solvendo precium quod pro dicta venditione dicte hereditatis habuerat dictus Girardus, asserentes iidem Stephanus et Sybilla, nomine ipsius Sybille, dictam hereditatem ad se, refundendo precium predictum, pertinere per consuetudinem patrie generalem, eo quod dicta Sybilla erat de parentela et consanguinitate dicti Girardi venditoris hereditatis predicte, licet ego pluribus de causis me opponerem et dicerem ipsos Stephanum et ejus uxorem in erramento dicte querete taliter defecisse, quod de cetero in dicta hereditate predicta de causa aliquod jus non poterant reclamare, tandem, de communi assensu mei et dictorum Stephani et Sybille, in asiis Vernolii anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo quinto, die jovis post festum beati Nicholai estivalis, ego predictus Petrus de Criquebeuf, miles, omne jus, dominium, actionem, causam et proprietatem, que et quas habebam et habere poteram, tam ex successione dicti avunculi mei quam ex quacumque alia ratione seu causa, in tota hereditate supradicta, ubicumque et in quibuscumque consistat, concessi, tradidi et penitus dimisi viro prudenti Petro de Brocia, domino de Langes, ac domini regis Francorum cambellano, sibi, heredibus, successoribus que suis habenda, possidendenda de cetero et in perpetuum, libere, pacifice et quiete, et me desessivi in dicta asisia et investi et sessivi Radulphum Jeolarium, vicecomitem Vernolii, nomine et vice dicti Petri de Brocia, de dicta hereditate, et de omni jure quod habebam in eadem ; pro qua vero hereditate eidem Petro, heredibus successoribusque suis in perpetuum remanenda, idem Petrus michi dedit et solvit sexcentas libras turonensium in peccunia numerata, de quibus teneo me integre pro pagato, et promitto quod in dicta hereditate, per me aut per

alium nichil de cetero reclamabo, nec predictum Petrum de Brocia seu heredes aut successores ejusdem inquietabo, vexabo seu etiam molestabo super predictis, inmo ab omnibus et contra omnes sibi, heredibus, successoribus que suis dictam hereditatem cum omni jure quod habebam et habere poteram in eodem, deffendam, liberabo et garentisabo quantum jus erit, et, ad hec omnia et singula tenenda, facienda et inviolabiliter observanda, ego predictus Petrus de Criquebeuf, miles, obligo me, heredes meos et omnia bona mea specialiter et expresse, salvis juribus capitalium dominorum. Et ut hoc sit firmum et stabile, presentes litteras sigilli mei proprii munimine roboravi. Datum anno et die supradictis, mense maii.